

de alio, quod ad ejus præsentationem vel institutionem pertinet, provideri non poterit, nec etiam ex converso: *expressio enim unò casuum prædictorum, mandatum super hoc factum (quod debet de sui natura restringi) ad alios extendi non debet; veluti sonant formalia textus in cit. cap. §. cum autem &c. Passerin. ibid. num. 32. & seqq.*

159 Rursus quando Pontifex rescribit de conferenda præbenda non-Sacerdotali, vel integra, vel certi valoris, non potest conferri Sacerdotalis, non-integra seu dimidia, vel minoris valoris *cap. cui de non 27. d. t. in 6. non enim, ait Bonifacius VIII. ibidem, hujusmodi mandata (quorum fines diligenter servari oportet) debent ad casus alios, quam expressis, extendi. Passerin. ad idem cap. à n. 1.*

160 Adhæc qui Rescriptum obtinuit de beneficio, proximè vacaturo, nequit obtinere beneficium, quod primum est erectum, Rescripto jam obtento *Clem. ult. de Rescriptis, quia nec vacare censetur, utpote cum possessorem non habuerit; nec de illo cogitatum esse præsumitur. Conf. Panormit. ad d. Clem. à n. 1.*

Præterea quando Rescriptum sonat de beneficio, per mortem vacante, non continet beneficium, vacans per resignationem, & e contra *cap. susceptum 6. de Rescriptis, in 6. Passerin. ib. n. 15.*

Denique per beneficium, in Civitate vel Diocesi conferendum, non venit beneficium Ecclesiæ Cathedralis propter singularem illius honorem, uti dicitur in *d. cap. quavis 4. de Præbend. in 6. licet sub beneficio, in aliqua Ecclesia in provincia conferendò, propter amplitudinem verborum etiam Ecclesiæ Cathedralis beneficium veniat d. cap. quavis 4. in f. Passerin. ib. n. 20. & seqq.*

Dixi superius in num. 155. beneficia Ecclesiastica, per Rescriptum gratiosum concessa, strictam interpretationem capere. Nam beneficia, secundum se considerata, quatenus agitur de ipsorum fundatione vel dotatione, latam interpretationem promerentur *arg. cit. cap. quavis 4. in pr. ibi: quavis plenissima sit aliis in beneficiis interpretatio facienda &c. Passerin. ib. n. 3. cessat enim in illa hypothese ambitionis suspicio.*

§. IV.

Quomodo Rescripta Gratia ad beneficia sint præsentanda & exequenda?

164 Cum Rescripta Gratia ad beneficia sint perpetua per *cap. decet 16. de R. J. in 6. consequitur, quòd omni tempore præsentari & executioni mandari possint juxta cap. si super 9. de Off. Jud. Deleg. in 6. Passerin. ibid. n. 1. & seqq.*

165 Nisi forsitan duo super eodem beneficio Rescriptum gratiosum fuissent adepti: tunc enim si primus impetrator per dolum aut notabilem negligentiam Rescriptum suum executori præsentare distulerit, secundus ei præferri potest *cap. sibi qui 12. in f. de Rescriptis, in 6. P. Keiffenstuel ad eund. tit. n. 100.*

166 Quod ipsum contingit, quando duo impetrant Rescriptum Gratia in eadem Ecclesia; unus generale ad beneficium, proximè vacaturum, alter speciale ad Archidiaconatum v. g. vel Decanatum: tunc enim, qui Rescripto speciali munitus est, præfertur alteri, Rescriptum generale habenti, licet in tempore priori per *cap. Augustam 14. §. nos igitur. cap. quavis sibi 38. de Præbend. in 6. quia generi per speciem derogatur cap. sicut. 1. in f. de Rescriptis, ubi Gonzalez à num. 10. cap. pastoralis 14. d. 1.*

167 P. König eod. tit. sub num. 9. ubi cum eodem Gonzalez num. ult. respondet ad *cap. ex parte 12. de Off. & pot. Jud. deleg.* quòd ibidem Rescriptum anterius de Archidiaconatu, qui primò vacabit, conferendò, posteriori de conferendo certo Archidiaconatu præferatur: quia utrumque Rescriptum reipsa speciale censetur.

168 Equidem anteriori resolutioni, quòd gratia sit perpetua, & Rescriptum ad beneficium semper in executionem deduci valeat, non nihil obloqui videtur textus in *cap. si cui 36. de Præbend. in 6. ubi Pontifex in casu, quòd ali-*

cui mandatur, ut beneficium conferat, distinguit, an mandatum fuerit generale citra expressionem alicujus personæ; vel fuerit speciale, cum expressione certæ alicujus personæ; ac mandatum generale, non etiam speciale, negat expirare cum morte egregientis, re adhuc integrâ.

Verum e contra Passerinus ad *cit. cap. num. 5. & seqq.* quia, si mandatum sit generale, respicit gratiam & favorem illius, qui beneficium alteri pro suo libitu conferre potest: consequenter cum gratia respectu ipsius jam sit facta, non amplius creditur res integrâ mansisse.

At, si mandatum sit speciale, non respicit gratiam & favorem illius, qui beneficium confert, sed cui conferendum est; adeoque respectu illius est nuda commissio & delegatio; respectu hujus est gratia, non facta, sed facienda; & eapropter censetur res integrâ manere, & cum morte concedentis interire.

De reliquo, cum Rescripta Gratia ad beneficia juxta num. 146. plerumque dirigantur ad Ordinarium pro eorum executione, tenetur ille, si vel impedimentum non obstat, vel contradicitor non appareat, intra 30. dies exequi Rescriptum, ac Oratorem in beneficii possessionem immittere ex constitutione Pii V. quam refert P. Wiestner ad *tit. de Rescriptis, n. 174.* Executione vel immissione 174

hac intra tempus non factâ, in casu negligentia vel malicia datur recursus ad secundum executorem, si quis deputatus fuerit; at in defectu hujus & in casu negata ob indignitatem executionis vel immissionis locus fit appellationi; non quidem ad Metropolitanam,

num, ut aliqui putant; sed ad Summum Pontificem: cum à Delegato Summi Principis

ad Delegantem appellatur *cap. super qualifikatione 27. §. ult. de Off. & pot. Jud. Deleg.*

SECTIO IV.

De Rescriptis Gratia contra Jus, seu Privilegiis.

SUMMARIUM.

173. Etymologia Privilegii. 174. Definitio. 175. & seq. Conceditur à Superiore. 177. & seqq. Non subdito non rectè confertur Privilegium. 180. & seqq. Debet continere specialem favorem. 183. Potest uni vel pluribus concedi. 184. Omne Privilegium est contra Jus Commune. 185. & seq. Conceditur in scriptis. 187. & seq. Assignatur illius discrimen à dispensatione. 189. & seq. Requiritur aliqua illius notitia. 191. & seq. Consideratur ad licitam concessionem iusta causa. 196. & seq. Est affirmativum; vel negativum. 198. & seq. Absolutum, vel respectivum. 200. & seqq. Reale vel personale. 203. & seqq. Gratium & remunerativum. 205. & seq. Purum vel conventionale. 208. & seqq. Commune vel privatum. 211. & seq. Clausum in Corpore Juris, vel specialiter indultum. 213. & seqq. Vulgare vel singulare. 216. & seq. Acquiritur concessione vel communicatione. 218. & seqq. Communicatio variat juxta varietatem clausularum. 222. & seqq. Latè probatur, quòd per clausulam dummodò SS. Canonibus &c. intelligantur Canonè Concilii Tridentini. 230. Effectus illius consistit in usu. 231. Qui in toto privilegiantis territorio potest exerceri. 232. & seqq. Imò, si nemini noceatur, etiam extra territorium extendi. 136. & seqq.

Explicatur sensus illius brocardici, quòd privilegiatus non restituitur contra privilegium. 239. & seqq. Limitatur & declaratur illa regula, quòd privilegia strictè sint interpretanda. 245. & seqq. Non patitur extensionem personalem aut localem. 248. & seq. Privilegium personale cum persona, reale cum re extinguitur. 250. Amittitur lapsu temporis præsentis. 251. & seqq. Cessat, cessante causa contraria. 255. & seqq. Exspirat revocatione, privilegio manifestata. 258. Perit renuntiatione. 259. & seqq. Desinit abusu. 262. Extinguitur non usu vel usu contrario. 263. & seqq. Non quidem si usus sit negativus. 266. & seq. Neque etiam per solum non usum omissum. 268. & seqq. Nisi per expressam Legem ad certum tempus usus adstringatur. 271. & seqq. Neque etiam per prescriptionem, si Privilegium sit affirmativum. 276. & seq. Bene verò si respectivum sit. 278. & seqq. Amittitur quoad possessionem per unicum actum. 281. & seq. Si non fuerit revocatus. 283. & seq. Explicatur cap. 8. de Constitutione. 285. & seq. Tempus pro prescriptione contra Privilegium est tempus, quòd aliis de Jure contra jus alterius præscribitur. 287. & seqq. Explicatur cap. 6. de Privilegio, & combinatur cum cap. 15. eod.

§. I.

Quid sit Rescriptum Gratia contra Jus, seu Privilegium?

173 Rescriptum Gratia contra Jus habet quidem sub se dispensationem & Privilegiū; attamen, cum dispensationem jam sæpius attigerim, præferim in cap. 1. §. n. 251. principaliter nunc agam de Privilegio, cujus etymon ad scopum nostrum D. Isidorus ex eo derivat, quòd sit Lex privatorum, seu privata Lex, ac quasi in privato lata. Textus in cap. Privilegia 3. Dist. 3.

174 Definiri potest conformiter antecedentibus, quòd sit responsum Principis, seu legitimi Superioris, quòd specialis favor & gratia uni vel pluribus contra Jus scriptò conceditur.

175 Dixi I. responsum Principis, seu legitimi Superioris. Quòd dicendi genere suggesti primò aliquid, quòd Privilegium habet cum cæteris Rescriptis commune: deinde subjeci aliquid singulare, nempe quòd Privilegium non possit à quolibet Principe, sed illo duntaxat,

176 qui privilegiati Superior est, concedi. Cùm enim Privilegium ex dictis sit Lex privata, eximens privilegiantem ex dicendis à Jure Communi, & cæteros onerans, ne privilegiantem in usu Privilegii turbent aut impe-

diant; non potest ab alio, quàm Legislatore, ejus successore, vel superiore indulgeri *arg. cap. inferior 4. Dist. 21. & cap. cum inferior 16. de M. & O.*

Quòd si existimes, Privilegium etiam non-177 subdito e. g. peregrinis, viatoribus, personis Ecclesiasticis &c. communicari posse; idèò que non opus esse, ut impetretur à Superiore, veluti post alios docuit P. Wiestner ad *tit. de Privilegio, n. 6. & seqq.* Sciendum est, 178 Privilegium non-subdito etatenus communicari posse, quatenus saltem transitoriam aliquam subjectionem ex prorogatione Jurisdictionis acquirit, sicuti dum peregrinis indulgetur facultas, in alienam provinciam mercès inferendi &c. Gibalin. *Scientia Can. lib. 7. cap. 7. q. 3. num. 2.*

Si tamen nec ista subjectio interveniat, concessio favoris, extraneo facta, transit in conventionem & donationem irrevocabilem; prout in specie de Privilegiis, quæ conceduntur Clericis aut Ecclesiis, ex Thoma del Bene scribit Card. de Luca de *Regal. dist. 13. n. 6. Engel ad tit. de Privilegio, n. 10. Zoëli n. 39.*

180 Dixi II. quò specialis favor & gratia. In quibus terminis exhibetur omnimoda paritas inter Privilegia, & reliqua Gratia Rescripta, cum & illa & ista favorem specialem & gratiam contineant.

181 Nec refragatur vel cap. quia in causis 7. de Procurat. vel cap. est Christus 26. de Jurisjur. in quorum priore Universitati Parisiensi datur facultas deputandi procuratorem, jam aliunde omnibus data hominibus; in posteriore Religiosis, quibus jurare de Jure Communi non est prohibitum per cap. suis 39. de Testib. indulgetur licentia, præstandi juramentum. Siquidem, ut nihil dicam, olim ex Francorum Lege non licuisse, citra Principis Rescriptum, Judicium subire; neque omnibus semper Religiosis juramenti præstationem fuisse licitam, ut ostendit Gonzalez ad cit. cap. quia in causis n. 2. insuper responderi solet, in memoratis textibus non tam Privilegium contra Jus Commune collatum, quam Jus Commune declaratum esse.

182 Dixi III. uni vel pluribus. Ubi subjectum Privilegii subindicatur, quod interdum est tota communitas; interdum verò persona singularis: id quod pendet ex animo & voluntate privilegiantis.

183 Dixi IV. contra Jus Commune. Præter autem juxta Jus Commune si quidam indulgetur, Privilegium in rei veritate nequit appellari: nec enim Lex privata, seu exemptio à Lege publica locum invenit, ubi contra Legem publicam nihil indulgetur per cap. in his 30. de Privileg. ibi: cum autem eis nihil conferret memorata indulgentia, sine quoad Prælati annuibus liceret eisdem; & cap. Abbate 25. de P. S. ibi: cum privilegium sit Lex privata, & Lex non debet esse obscura vel captiosa, sed certa & manifeste: nec esset privata, nisi aliquid specialiter indulgeret &c. l. jus singulare 16. ff. de LL. ibi: jus singulare est, quod contra tenorem rationis (subintellige cum Brunn. ibid. n. 1. Juris Communis) propter aliquam utilitatem auctoritate constitutum introducitur. Reiffentuel ad tit. de Rescript. n. 16. & seqq.

184 Dixi V. scripto conceditur. Quæ particula, licet non paucis displiceant, dum Privilegia sicut multa Vive Vocis oraculo concessa noscuntur per Clem. dudum 2. §. Nos etenim de Sepultur. Exiravag. est dominici 3. de Panit. & remissis inter commun.

Attamen, si respiciamus ad Regulas Cancellariæ stylumque Curie Romanæ, Privilegia non aliter concedi solent, quam interveniente scripturâ secundum dicta in n. 8. & seq. Erasmus à Cockier ad Reg. 25. Cancell. Reiffentuel ad tit. de Privileg. n. 30.

Quæres I. quomodo Privilegium differat à dispensatione?

R. differentiam in eo consistere, quòd dispensatio quidem relaxat Jus Commune, sed vel absque duratione & stabilitate; vel ad unum duntaxat actum v.g. ad Ordinem suscipiendum, Matrimonium contrahendum, carnes comedendas &c. plerumque tribuatur; cum e contra Privilegium cum aliqua perpetuitate & stabilitate, atque ad plures actus indulgetur. Suarez de LL. lib. 8. cap. 2. num. 10. Gibalin. Scientia Canon. d. lib. 7. cap. 7. q. 2. num. 5. Wiestner ad tit. de Privileg. n. 3.

Quæres II. utrùm ad Privilegium requiratur aliqua promulgatio vel publicatio?

R. aliquam publicationem requiri, tum ex parte privilegiati, ut habeat Privilegii notitiam & prudenter operetur; tum ex parte aliorum, ne privilegium in usu juris specialis impediatur.

Si tamen Privilegium non motu proprio, sed ad instantiam partis, concederetur, tunc, cum effectum habeat à tempore data, poterit illius usus à privilegiato valide exerceri. Engel ad tit. de Privileg. num. 22. Haunold de F. & J. tr. proem. n. 179. König ad cit. tit. sub n. 23. Wiestner ib. n. 13. & seqq.

Quæres III. utrùm ad Privilegii concessionem justa requiratur causa?

R. ad licitam Privilegii concessionem justam desiderari causam; non item ad validam. Ratio est: quia ad Privilegii concessionem plus non requiritur, quam ad dispensationem. Hæc autem, ut licita sit, causam legitimam desiderat: eò quòd justitia distributiva non velit, ut à communi subjectione vel observantia sine causa quis eximatur. Ut verò sit valida, non indiget causâ: quia, sicuti Legis exiitentia, sic etiam illius definitiva pendet à voluntate Legislatoris. Refrictentur dicta in cap. 5. n. 161. & seqq.

Dices: concessionem indulgentiarum invalidam reputari, quando deficit justitia causa per Extravag. unigenitus 2. de Panitent. & remissis inter commun. adeoque & concessionem Privilegii.

R. negandò conseq. Ratio disparitatis est, quòd Papa non concedat indulgentias, tanquam Dominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed tanquam dispensator thesauri meritorum Christi, qui non consentit in dispensationem, nisi causa rationalis subit: Privilegium autem concedit tanquam Dominus Jurisdictionalis; consequenter solâ voluntate potest aliquid à communi subjectione liberum pronuntiare.

§. II.

Quotuplex sit Privilegium?

186 Privilegium est multiplex, & dividitur I. in affirmativum & negativum. Affirmativum est, vi cuius aliquid facere licet, Jure

Communi ceteroquin non permissum; v.g. celebrare in Pontificalibus, dare suffragium in aliena Ecclesia, in alterius districtu venari.

Nega-

187 Negativum est, vi cuius omittere licet, quòd de Jure aliquid facere deberet, v.g. non solvere collectas, pedagia, decimas, cathedratium, subsidium charitativum &c.

188 II. dividitur Privilegium in absolutum & respectivum. Absolutum est, quòd solius personæ privilegiatæ favorem concernit, nec in ullius gravamen redundat. Tale est Privilegium dispensandi, portandi certa vestimenta vel insignia, celebrandi in Pontificalibus &c.

Respectivum est, quòd ita personæ privilegiatæ favorem spectat, ut simul in aliorum gravamen dimanet. Tale est Privilegium percipiendi vel non solvendi decimas; exercendi jura Episcopalia vel Parochialia in alieno Episcopatu vel Parochia.

III. dividitur Privilegium in personale & reale. Personale est, quòd directè & immediate conceditur intuiui certæ & individualis personæ, eademque cohaeret cap. Privilegium 7. de R. J. in 6. l. in omnibus 68. ff. eod. Card. de Luca de 201 fens. disc. 44. n. 11.

Reale est, quòd directè & immediate conceditur rei, seu personæ datur cum respectu ad rem, v.g. officium, dignitatem, ætatem, aut aliam qualitatem; indeque cohaeret rei, & competit omnibus, qui possident rem, aut præditi sunt tali officio, dignitate, ætate, qualitate &c. arg. l. Imperatores 7. in pr. ff. de Publican. & vestigal. l. ait Praetor. l. 443. ff. de Aqua quot. & est. Latè & ex instituto Rota Rom. in Recent. p. 9. tom. 2. decis. 400. a. n. 4. Card. de Luca de Regal. disc. 90. num. 8. & de Jurisdic. disc. 6. n. 7.

Ad dignoscendum itaque, num Privilegium sit reale, vel personale, gnaviger expendenda sunt verba Privilegii; & si dirigantur ad personam cum expressione nominis v.g. Tibi Joanni Francisco Episcopo Frisingensi, censetur personale. Sin verò dirigatur ad personam cum expressione rei vel dignitatis v.g. Episcopo Frisingensi concedimus hoc vel hoc &c. erit reale. Card. de Luca de Regal. cit. disc. 90. n. 8. & de Jure Patronat. disc. 2. num. 3. & seqq. ubi etiam in num. 12. & 13. refert, in dubio censi Privilegium reale; conformiter decis. à Rota d. p. 9. tom. 2. decis. 400. num. 11. & 12.

IV. dividitur Privilegium in merè gratuitum & remuneratorium. Merè gratuitum est, quòd ex mera liberalitate, citra meritum singulare, indulgetur.

Remuneratorium est, quòd in præmium & compensationem antecedentium meritorum, non qualiumcunque, sed insignium, impertitur. Hocque posterius Privilegium in dubio præsumitur esse personale per textum bonum in l. quod Principi 1. §. 2. ff. de Constit. Princip. ubi dicitur, quòd ea, quæ Principes alicui ob merita indulserit, personam non segrediantur. Nil tamen prohibet, quò minus Privilegium remuneratorium ad filios, nepotes, totamque familiam transire valeat, si merita paterna vel avita sint tanta, ut compensationem in posteris totaque familia mereantur. Brunn. ad cit. l. n. 8.

V. dividitur Privilegium in purum & conventionale. Purum est, quòd manet in terminis gratiæ & favoris. Conventionale est, quòd transit in conventionem onerosâ. Atque hoc, post Suarezium sic docente P. Wiestner ad tit. de Privileg. n. 21. est vera Privilegii species: utpote cum nihil inter sit, utrùm aliquid ex mera liberalitate, vel intercedente pacto contra Jus concedatur. Crediderim tamen, Privilegium conventionale in materia odiosa nomine Privilegii non comprehendendi: quia conventiones onerosæ in rigore loquendo non rectè trahuntur ad materiam gratiosam. P. Engel ad cit. tit. n. 5. in f.

VI. dividitur Privilegium in commune & privatum. Commune est, quòd primò & per se respicit bonum communitatis, cui tribuitur, quantumvis in consequentiam illius utilitas in singulos deriverit; quale de Jure Canonico est Privilegium fori, canonis, & competentia, in honorem totius Ordinis Clericalis principaliter indultum; & de Jure Civili Privilegium studiosorum quoad forum Academicum, in gratiam totius Corporis literarii primariò introductum.

Privatum est, quòd respicit primò & per se commodum unius vel alterius personæ privatæ, licet in consequentiam vergat in bonum commune, quòd exinde non parum firmari vel comparari videtur, si indigentes & bene meriti specialia consequantur indulta; quale est Privilegium restitutionis in integrum, & competentia quoad personas seculares. Privilegio anterioris generis à personis privatis renuntiari non potest cap. si diligenti 12. de Foro compet. ubi Panormit. num. 7. cap. contingit 36. de Sent. excommunicat. l. jus publicum 38. ff. de Publ. posteriori renuntiari potest per cap. si de terra 6. de Privileg. l. penult. Cod. de Publ. Suarez de LL. lib. 8. cap. 6. n. 1. & seqq.

VII. dividitur Privilegium in illud, quòd clausum est in Corpore Juris Communis; & illud, quòd speciali Rescripto conceditur. Privilegium, clausum in Corpore Juris, induit naturam Legis; est favorabile; recipit amplam interpretationem, nec indiget probatione per cap. quamvis 4. in pr. de Prob. in 6. cap. ult. de Res. spoliat. eod. in 6. l. beneficium 3. ff. de Constit. Princip. Privilegium speciale censetur aliquatenus odiosum, recipit strictiorem interpretationem, recedit longius à Lege, & Juris præsumptionem habet contra se arg. cap. cum in Jure 31. de Off. & pot. Jud. deleg. cap. cum olim 18. de Prescript. cap. cum persona 7. de Privileg. in 6. l. si quis 1. Cod. de Mandat. Princip. P. Engel ad tit. de Privileg. num. 2. P. König num. 8.

VIII. dividitur Privilegium in singulare & vulgare. Illud in forma singulari, cum specialibus clausulis v.g. motu proprio, ex certa scientia, ex plenitudine potestatis &c. hoc in forma vulgari sine talibus clausulis expeditur. Privilegium posterioris generis, quantum est possibile, restringitur ad terminos Juris Communis; & si confirmationem antiqui Privilegii complectatur, non

vum robor aut virtutem non conciliat per-
 215 *cap. cum dilecta 4. de Confirmat. ut-vel inus.* Pri-
 vilegium prioris generis secundum multos
 Privilegium, jam extinctum, resuscitare; vi-
 tium sub-reptionis corrigere; ac quandoque
 jus, tertio jam quaesitum, adimere valet.

§. III.

Quomodo Privilegium acquiratur?

216 **P**rivilegium vulgò dicitur acquiri quatuor
 modis, consuetudine, prescriptione,
 concessione, & communicatione. Sed quia
 consuetudo & prescriptio non est Privilegium
 formaliter, sed æquivalenter & objectivè,
 quatenus objectum Privilegii cæteris paribus
 est objectum consuetudinis aut prescriptio-
 nis, & qui prescriptio vel consuetudine
 munitus est, id juris consequitur, quod habet
 alius, privilegio concedoratus per *cap. novis*
13. de Judic. cap. super quibusdam 26. de V. S.
 Hinc non alium modum acquirendi Privile-
 gium agnosco, quam concessionem, & com-
 municationem.

217 Concessio Privilegii est illius originaria ac-
 quisitio, facta per Legislatorem, qui Legem,
 à qua conceditur exemptio, tulit, ejus Suc-
 cessorem, aut Superiorem. Communicatio
 est extensio Privilegii, jam semel concessi,
 ab uno subiecto ad aliud.

218 Fit autem communicatio vel simpliciter,
 vel cum peculiaribus clausulis. Si fiat sim-
 pliciter, dat quidem facultatem, exercendi
 omnia Privilegia, quæ concessa erant subje-
 cto, à quo vel intuitu cuius communicantur.
 Rota in *recens. p. 4. tom. 1. dec. 40. n. 1. & p. 11.*

219 *decis. 348. n. 20.* Nisi sint planè singu-
 laria, rarius concedi solida, vel communicari
 prohibita *arg. cap. in generali 81. de R. J. in 6.*
Rota d. p. 4. tom. 1. decis. 40. n. 2. & seq. & d.
p. 11. decis. 100. n. 14. & p. 8. decis. 8. num. 8.
 Tamburin. *cit. disp. 17. q. 1. n. 18.* P. König

220 *ad tit. de Privileg. n. 12.* Si fiat cum
 specialibus clausulis, v. g. omnia & singula
 Privilegia, quomodolibet concessa; in om-
 nibus & per omnia; pariformiter, adinstar,
 æquè principaliter &c. quæcunque Privile-
 gia, etiam specialiter mentione digna, & extra-
 ordinaria videntur esse communicata *arg. cap.*
in his 30. de Privileg. cap. si Papa 10. eod. in 6.
Rota cit. p. 4. tom. 2. decis. 30. num. 2. 3. 6. & 7.
 Tamburin. *cit. l. q. 18. & 19. per tot.* Barbosa
 in *tract. de Clausul. usufrequent. Claus. 5. n. 2. &*
seq. & Claus. 67. n. 7. & in tract. de dition. usa-

221 *frequent. dist. 330. n. 1. & seq.* Unde non
 potest in genere statui, quænam & qualia Pri-
 vilegia per communicationem transeant, sed
 præcipiendi Bullæ & literæ communicationis
 sunt inspicendiæ, ut dignoscatur, quid, quan-
 tum, & quale de Privilegiis fuerit communi-
 catum.

222 Cum verò communicationi Privilegio-
 rum persequenter adjici solet clausula:
dammodo sint in usu, ac Sacris Canonibus & decre-
tiis Concilii Tridentini non adversentur: dubium

Rota in *recens. p. 8. decis. 8. num. 1.* Tambu-
 rinus de *J. A. tom. 1. dispensat. 17. quest. 6. à*
num. 21. Placidus Bridler de *Clausul. Re-*
scriptor. Claus. 20. & 24. Gibalinus *Scienc. Can.*
lib. 7. cap. 7. q. 8. per tot. Gonzalez ad *cit. cap.*
cum dilecta n. 6. & seq.

movetur, quid per *ly Sacros Canones* intelliga-
 tur?

Respondent Tamburin. *cit. tom. 1. disp. 18.*
quest. 6. num. 2. Barbosa *cit. tract. de Clausul.*
Claus. 52. n. 4. & Claus. 124. num. 2. Bridler
 de *Clausul. Rescript. Claus. 19. lit. f.* ac novissime
 Reiffenuel ad *tit. de Privileg. n. 113.* per Sa-
 cros Canones non intelligi illos, qui Corpori
 Juris Canonici sunt inserti, sed qui extant in
 ipsomet Concilio Tridentino, sicuti declarat
 dictio & quæ est conjunctiva, Canones cum
 decretis Concilii connectens. Ratio est: 225
 quia hæc clausula, ne impediatur effectum
 Privilegii, nequit explicari de Canonibus in
 Corpore Juris: quandoquidem ex *num. 184.*
 omnia Privilegia Ecclesiastica sunt contra Jus
 Commune Canonice: consequenter eorum
 communicatio nihil tribueret, si Sacri
 Canonis in memorato sensu acciperentur.

Non equidem nescio, à Fagnano in *cap. 244*
marum. 11. de Privileg. hanc explanationem,
 velut ineptam, atque à Recentioribus quibus-
 dam Theologis adinventam, explodi, ex
 ea ratione: quia, dum Canones Concilii non
 sunt nisi definitiones fidei, supervacanea foret
 illa restrictio, dummodo non adversentur SS.
 Canonibus: nec enim contra ejusmodi Canones,
 ad dogmata fidei spectantes, indulta vel
 dispensationes concedi possunt.

Verùm hanc Fagnani responsionem non 225
 puto coherere cum illis, quæ Fagnanus ipse-
 met in *cap. Canonum statuta 1. de Constitut.*
num. 10. docet: docet enim verò, nomine
 Canonum sæpius intelligi decreta fidei; ad-
 mittit tamen, quandoque & decreta morum
 Canonum nomine comprehendendi. Eaque 226
 doctrina valde conformis est Concilio Tri-
 dentino in *sess. 14. de Reformat. in fine præ-*
sent. in verbis: hos, qui sequuntur Canones, statuentes
& decernendos, duxit &c. ubi per Canones, ut
 constat ex *cap. 1. & seq. n. 11.* non alii, quam qui
 circa mores versantur, intelliguntur. Quod
 ipsum eruitur ex *sess. 23. de Ref. cap. 16. in verb.*
vestigiis sexti Canonis Concilii Chacedonensis inha-
rendo &c.

Regerit Fagnanus *alleg. l. si Canones ad* 227
mores restringantur, verbum illud clausula-
re: Decretis Concilii, redundare: cum tamen in
Legge nec syllaba debeat esse superflua.

Sed nimirum scrupulosus esse videtur, qui 228
 superfluitatem verborum exinde vult equi-
 cere, quòd Lex plura synonyma ad unam
 eandemque rem significandam assumat: sic
 enim in jam *cit. sess. 14. in fin. præm.* ipsum
 Concilium synonymicè ponit: *Canones sta-*
tuendos

229 *statuendos & decernendos.* Est siquidem &
 Legibus & Legislatorebus pertamiliare, plures
 terminos, idem significantes, conjunge-
 re, quatenus resultans inde propositio vel

clarior sit, vel sonantior & momentosior.
 Id quod infinitis propemodum exemplis de-
 clarari possit, nisi res plana & decantata
 foret.

§. IV.

Quisnam sit usus, vel interpretatio Privilegii?

230 **E**ffectus Privilegii potissimum consistit in
 legitimo illius usu, quatenus privilegio
 tribuitur facultas, concessa sibi gratia
 utendi.

231 Et hic usus, nisi specificè restringatur ad
 certum locum, est concessus in universo ter-
 ritorio privilegiantis *arg. cap. quia circa 22. de*
Privileg.

232 **Q**uin etiam, si Privilegium
 sit absolutum, ac nemini prolius nocivum,
 quale v. g. est Privilegium legendi libros pro-
 hibitos, illius usus est licitus extra territorium
 privilegiantis: utpote cum obligatio Juris
 Communis, in uno territorio relaxata, cen-
 seatur esse relaxata pro omni loco, pro quo
 Jus Commune latum est. P. Pirhing ad *tit. de*
Privileg. num. 182. P. Wiestner *ibid. n. 30.*

233 Nec interest, quòd Jurisdicção non exten-
 datur de territorio in territorium *cap. ult. de*
Constitut. in 6. adeoque nec usus Privilegii,

234 proveniens à Jurisdicção. Hoc enim
 solummodò verificatur de Jurisdicção con-
 tentiosa, non autem voluntaria, quæ exten-
 sionem extra territorium non respuit, ut di-
 cemus in *tract. 5. cap. 7.* Imò, sicuti quis
 interdum uti potest effectu Jurisdicçãois
 contentiosæ extra territorium, si v. g. per
 sententiam Judicis, quæ transit in rem judi-
 catam, rem aut jus aliquod acquisivit *arg. cap.*
ult. de Except. in 6. pariter quis uti poterit ef-
 fectu seu fructu Jurisdicçãois voluntariæ, per
 concessionem Privilegii antehac indultò.

235 Siscitaberis: quò sensu verum sit, quòd
 privilegiatus contra privilegium suò non
 utatur Privilegio?
 Resp. hoc brocardicon, quòd desumí solet
 ex *l. assiduis 12. §. 1. Cod. Qui prior. in sign.* tunc
 verum esse, quando Privilegium utrumque
 est ejusdem rationis, conditionis, & favoris,
 veluti si unus habeat Privilegium exigendi,
 & alter non-solvendi. Rota in *Recens. p. 7.*
num. 25. & 2. seq. Secus quando Privilegia
 sunt diversæ rationis, conditionis, & favoris.

236 P. Wiestner ad *tit. de Privileg. n. 32.* Sic
 enim quando unus Privilegium habet gene-
 rale, v. g. decimas exigendi ab omni paro-
 chiano, & alter habet Privilegium speciale
 v. g. decimas ex suis prædiis non-solvendi, po-
 sterior utitur suò Privilegio contra priorem:
 cum enim in toto Jure generi per speciem
 derogetur *cap. generi 34. de R. J. in 6.* ille, qui
 privilegiatus est in specie, censetur esse ma-
 gis privilegiatus, quam alter, qui privilegia-
 238 tus est in genere. Sic etiam privile-
 giatus, qui gerat de damno vitando, habet

jus favorabiliss, quam alius, qui certat de
 lucro captandò; veluti constat de Privilegio
 restitutionis in integrum, Ecclesiis concessò
arg. cap. auditis 3. De in integr. Restitutio.

De reliquo legitimus Privilegii usus pluri-
 mum dependet à genuina illius interpreta-
 tione. Ubi ex *num. 211.* repetendum est,
 Privilegia, in Corpore Juris Communis con-
 tenta, largius; cætera verò, per indultum
 speciale concessa, strictius interpretanda esse.
 Quòd ultimum jam ulterius & ita declaran-
 240 dum est *l. quòd Privilegium. per speciale Re-*
scriptum impetratum, juxta mentem conce-
dentis, si de ista conles, etiam contra pro-
rietatem verborum, oporteat interpretari

arg. cap. secundo requirit 41. de Appellat. II. 241
 quòd tale Privilegium, si cæterogenum nullum
 aut exiguum haberet effectum, latius, quam
 verba sonant, interpretandum sit *cap. in his 30.*
de Privileg. cap. si Papa 10. eod. in 6. III. 242

quòd, si Privilegium in nullius detrimentum
 redundet, laxam & amplam interpreta-
 tionem exposcat *cap. olim 16. de V. S. IV. 243*

quòd etiam, in quantum soli præjudicat con-
 cedenti, similem mereatur interpretationem
 juxta disertum textum in *cap. quia circa 22. de*
Privileg. Rota Rom. in Recens. p. 4. tom. 3. de-
cis. 531. n. 24. & p. 19. tom. 2. decis. 52. num. 4.
 V. quòd secundum plures in Privilegiis, quæ
 conceduntur in favorem Divini cultus, aut
 244 causarum piarum, interpretatio larga præfer-
 ratrur strictæ per *cit. cap. in his 30. de Privileg.*
& l. sunt persona 43. ff. de Religio. & sumptib. fun-
nam summa est ratio, que pro Religione facit.

Petes: an Privilegium extendi possit de 245
 subiecto ad subiectum, de persona ad perso-
 nam, de loco ad locum?

Resp. id regulariter non extendi, præter-
 quam in sensu, quò discurrimus in *num. 232.*
 Rota p. 3. *rec. decis. 8. num. 3. & 4.* Ratio est:
 quia, tamen in duobus subiectis vel locis in-
 veniatur similis ratio, quæ Principem ad in-
 dulgendum Privilegium permovet: attem,
 ex quo actus gratie non transeunt in conse-
 quentiam, non licet Privilegium ab uno sub-
 jecto ad aliud, concurrente quoque rationis
 paritate, extendere.

Aliud est, si prudenter de mente conce-
 247 dentis aliud præsumere liceat *arg. cap. licet vo-*
bis 11. §. cum conceditur de Privileg. in 6. ubi
 Privilegium, singulari personæ concessum, ut
 tempore interdicti Divina celebrare valeat,
 vel audire, ad ejus familiares domesticos ex-
 tenditur.

§. V.

Quibus ex causis Privilegium amittatur?

- 248 **P**rivilegium amittitur I. interitu subiecti, cui inhæret. Nempe si personale sit, perit cum persona *cap. Privilegium 7. de R. F. in 6. &*, si reale sit, tandiu durat, usque dum existit res, intuitu cuius est concessum *ex 249 num. 200. & seqq.* Quin etiam si res, vel locus, v.g. Ecclesia, castrum, prædium, cui Privilegium erat annexum, destruitur, aut transferatur, Privilegium perfitit, quamdiu spes de subiecto priori superest *per cap. parochialis 42. VII. q. 1. cap. quia Monasterium 2. de Religios. domib. l. cum loca 36. ff. de Religios. & sumpt. fun. Rota in rec. p. 19. tom. 2. decis. 196. num. 16. Fagnanus in cap. cum ex 2. de N. O. N. num. 11. & seqq.*
- 250 **II.** amittitur lapsu temporis, ad quod Privilegium expressè restrictum fuit *arg. cap. de causis 4. de Off. & pot. fud. deleg. l. falso 2. Cod. de Divers. Rescript. quia Privilegium in fieri & conservari pendet à voluntate privilegiantis.*
- 251 **III.** amittitur cessante causâ, propter quam Privilegium ab initio fuit indultum *per cap. una fraternitatis 12. de Cleric. non residenti. quia cessante causâ cessat etiam effectus cap. cum cessante 60. de Appellat.* Sed probè hic attendendum est, utrum causa illa cesset contrariè, adeo ut usus Privilegii propter mutationem circumstantiarum evadat injustus; vel tantum negativè, ut usus non evadat injustus, sed sola concedendi ratio non amplius subsistat.
- 252 **In primo casu** Privilegium amittitur, & consequenter jus decimandi, Religiosis vel aliis concessum, vel ex toto vel ex parte perditur, quando successu temporis parochia sua non remanet congrua sustentatio *per cap. statuto 2. de Decim. in 6.* In altero casu Privilegium non omittitur: adeoque Privilegium juris decimandi, Religiosis olim ob inopiam & indigentiam concessum, non expirat, tamen cum tempore ad pinguiorem fortunam pervenerint *arg. cap. de cet. 16. de R. F. ed. in 6. ubi concedens existit*

stimatur, ut beneficium, à Principe concessum, sit perpetuum. P. Engel ad *tit. de Privileg. n. 21.*

IV. amittitur revocatione Concedentis, 255 Successoris, vel Superioris *per cap. innovat. 20. de Elect. sic tamen, ut ad licitam (non autem validam) Privilegii revocationem rationalis causa requiratur. P. Wiefner ad cit. tit. num. 59.* Et, si Privilegium sit onerosum, citra violationem iustitiæ commutativæ, nequit ex alia causa, quam necessitatis aut utilitatis publicæ, revocari *per ead., quæ in cap. 1. à num. 195. probata sunt. Rota Rom. in recent. p. 6. decis. 218. n. 31. & p. 8. decis. 4. per tot.* Debet autem revocatio Privilegii, non minus quam Legis, privilegiatò manifestari; nec sufficit revocatio, per Legem generalem facta, nisi specialem clausulam derogatoriam habeat *cap. licet 1. de Constit. in 6.*

V. amittitur renuntiatione, supposito quòd Privilegium non commune, sed privatim sit juxta *num. 210.* est enim in arbitrio privilegiati, num illud retinere vel dimittere velit.

VI. amittitur abusu; vel quia privilegium 259 Privilegium contra mentem & intentionem concedentis ultra limites suos extendit; vel quia existit sumit occasionem & ansam delinquendi; vel quia contra Privilegii finem operatur *cap. ubi iust. 7. Dist. 74. cap. tuarum 11. cap. ut Privilegia 24. de Privileg. cap. contingit 45. de Sent. excommunicat.* Hæc tamen amissio, extra casum, quò contra Privilegii finem agitur, non inducit ipsò jure, sed tanquam pœnalis, sententiam Judicis prærequirit; & si in Privilegii concessione amissio legatur ipsò jure statuta, secundum deducta in *cap. 1. à num. 269.* vix habebit effectum, antequam sententia criminis declaratoria præcesserit *arg. cap. ult. de Pna & bon. Clericor. d. cap. contingit 45. de Sent. excommunicat.*

§. VI.

Quomodo per non-usum aut usum contrarium amittatur Privilegium?

- 262 **VII.** **A**mittitur Privilegium non-usu vel usu contrariò, tanquam renuntiatione tacitâ. Sed quomodo? Quæstionem tam perplexam existimat P. Engel ad *tit. de Privileg. sub n. 19.* ut apertiorum juris declarationem exoptet. Ego, ut securiori & planiori viâ incedam, quæ liquida & recepta sunt, à dubiis scerno. Nempe
- 263 **Receptum est I.** per merum non-usum negativum, quò quis Privilegiò non utitur ob defectum occasionis, ac jus gladii v.g. non exercet ex eo, quòd delictum aut delinquens in ejus territorio non fuerit deprehensus, nullum Privilegium amitti. Panorm. in *cap. ut privilegia 24. de Privileg. n. 4.* Suarez de *LL. lib. 8.*

cap. 34. num. 4. Engel cit. l. Petschacher de LL. q. ult. art. 7. §. 5. conclus. 1. Haunold de F. & F. tract. 1. num. 248. Pirhing ad tit. de Privileg. num. 175. König ibid. sub num. 29. Wiefner ibid. num. 48. Gail. lib. 2. observ. 60. num. 3. Gleele p. 1. Pand. quest. 5. num. 2. & 3. Marquard Otii Heribipol. dissert. 2. sect. 3. pag. m. 170. Textus opportunus in l. unus ex sociis 34. 264 §. 1. l. & atilicinus 35. ff. de S. P. R. ubi jus aquæ ducenda non amitti dicitur per non-usum, si ea de causa, quòd exaruerit fons, ducendi facultas defecerit. Ratio est: quia non-265 usus merè negativus non ostendit animum renuntiandi Privilegio; quin potius ex generali præsumptione, quâ nemo jura bona

Quomodo per non-usum aut usum contrarium amittatur Privilegiò? 157

que sua jactare censetur *per l. cum de in debito 25. in pr. ff. de Probis.* credendum est, privilegatum suo usum fuisse Privilegiò, nisi defuisset occasio.

- 266 **Receptum est II.** per solum non-usum omisivum, quò quis Privilegiò, cum possit, non utitur, per se loquendò nullum amitti Privilegium. Suarez *cit. l. num. 17. Petschacher d. §. 5. conclus. 2. Haunold d. num. 148.*
- 267 **Gleele d. q. 1. n. 3. Marquard cit. l.** Ratio est: quia solus non-usus omisivus Privilegii per se loquendò tam parum arguit animum renuntiandi, quam parum solus non-usus rei propriæ arguit animum, eam habendi pro derelicta *l. pro derelicto 2. in pr. & §. 1. ff. Pro derelicto: multa siquidem cause latere possunt, ob quas aliquis re vel jure suo non utatur.* Quòd tamen Lex aut Statutum certum tempus Privilegiorum usus præscriberet, extra dubium est, quòd, transactò illò tempore, Privilegium propter solum non-usum expiraret.

269 **Quamobrem** Privilegium nundinarum, cum ad tempus decenni quoad usum fuerit restrictum, præterlapsò decenniò propter solum non-usum extinguitur *l. nundinis 1. ff. de Nundin.* Quomodo & jura alia, v.g. actiones personales & servitutæ rusticæ, quæ certo temporisunt adstricta, per solum non-usum amittuntur *l. penult. Cod. de Servitut. l. sicut in rem 3. l. omnes 4. Cod. de Prescript. 30. vel 40. annor.*

270 **Receptum est III.** Privilegium absolutum, ac nemini præjudiciosum, per non-usum non amitti, quamvis à contrario præscriptio jam completa allegetur. Suarez *cit. l. n. 17. Reiding de LL. q. 18. art. 2. contr. 6. n. 2. Castropalao de LL. disp. 4. parit. 18. n. 3. Engel cit. num. 19. Pirhing ad tit. de Privil. n. 176. König ib. sub cit. n. 29. Wiefner ib. n. 50. Gleele*

271 **Textus ad propositum** adduci potest ex *l. voluntaria 12. Cod. de Excusat. tutor. ubi ab Imperatore Gordiano rescriptum est, voluntariæ tutelæ munera Privilegii nihil derogare: hoc est, Privilegium immunitatis ab onere tutelæ non amitti, quòd aliquis ultro & sponte munus tutelæ subeat. Similis textus occurrit in l. honestè 2. ff. de Privileg. Veteran. l. qui publici 2. Cod. de his qui sponte publ.*

272 **Ratio est:** quia non-usus Privilegii absoluti revocari potest ad actus merè facultatis propriæ tales, sicut jus eundi per viam publicam: quandoquidem ex jure naturalis libertatis favore propriò, in aliorum præjudicium non vergente, quilibet uti vel non uti potest.

273 **Jam verò** in actibus merè facultatis propriæ talibus præscriptionem non dari, ex professo docetur in *tract. 2. de Prescript. cap. 4.* hæc enim vel esset positiva, vel privativa. Non positiva: nam ista requirit possessionem ex parte præscribentis, quæ nulla est, quò nulla spes lucri vel commodi, sicut in præfenti, ubi ex Privilegio, nemini præjudicando, non potest in alterum ex amissione Privilegii singularis utilitas redundare.

274 **Non privativa:** hæc enim supponit Legem, quæ usum Juris certi temporis intervallò contringat; cujusmodi Legem, exceptâ illâ, quæ de nundinarum Privilegiò in *num. 269.* citata fuit, hic invenire non licet.

Receptum est IV. Privilegium respecti 276 vum, aliisque gravamen afferens, per non-usum amitti posse, si accedat præscriptio, suis conditionibus instructa. Ita Authores citati, & omnes (ut credo) Jurium periti. Ratio est: quia à generali regula, quâ in supra *cit. l. sicut in rem 3. & l. omnes 4. Cod. de Prescript. 30. vel 40. annor.* omnia jura, publica & privata, Præscriptioni dicuntur esse subiecta, nullibi excipitur jus Privilegii respectivi seu onerosi. Nec erat excipiendi ratio: quoniam, si quis 277 jure suo, alteri gravamen aliquod inferente, non utatur; alior sibi vigilare, & viâ præscriptionis gravamen illud à se amoliri potest.

Dubitatur autem I. utrum sufficiat unicus 278 actus, Privilegio contrarius, ut, si cæteræ condiciones simul concurrant, præscriptio compleatur? Resp. quòd, sicuti juxta mea principia, in *cit. tr. 2. de Prescript.* adtribuenda, in juribus incorporalibus, quæ non facillè solent ex amicitia concedi vel omitti, sufficit unicus actus ad acquirendam quasi-possessionem, & cæteris paribus, complendam præscriptionem: sic etiam ille, qui contra Privilegium præscribere cupit, per unicum actum, Privilegio contrarium, non tamen revocatum, quasi-possessionem acquirere, & si cætera requisita concurrant, præscriptionem absolvere valeat *arg. l. hac autem 6. §. 1. ff. de S. P. U. ubi uni-279 cus actus, servituti tigni immittendi contrarius, videlicet obstruendo foraminis, per quod tignum erat immittendum, potest dominum prædii servientis in quasi-possessione suæ libertatis constituere, & præscribendi conditionem parere.* Unde si quis per Privilegium immunitatem à solvendis collectis aut decimis acquiverit, & Domino Territoriali vel decimatori semel duntaxat collectas aut decimas solverit, Dominus Territorialis vel Decimator constituitur in quasi-possessione suæ libertatis, potestque successu temporis contra Privilegium immunitatis præscriptionem absolvere. Itaque reipsâ docere videntur Suarez *cit. l. n. 20. & cap. 35. n. 17. & 19. Castropalao num. 8. Haunold n. 255. Petschacher concl. 5. Gleele n. 10.*

280 **Dixi tamen:** per unicum actum, Privilegiò contrarium, non revocatum. Nam si privilegatus aut ab initio, quando primum actum, Privilegio contrarium, exercuit, protestationem interposuerit; aut ubi unum vel alterum actum sine protestatione interposuit, rursus alterius quasi-possessionem interrupit, ac v.g. Domino Territoriali vel Decimatori, collectas aut decimas exigenti, solutionem negaverit, nequit subsistere præscriptio. Siquidè vel nulla unquam præcessit possessio, 282 ubi contraria interesset protestatio; vel ubi jam inchoata fuit, per actus posteriores contrarios rursus amissa; consequenter incepta

V 3